

05

A

1426





IN NOMINE JESULI, RECENS NATI!

4

CS.

ADAMICAS

JESULI GENETHLIACAS CUNAS,
EASQUE PRIMAS, ET CATHOLICAS,
UT ET VERE PARADISIACAS,
EX GENES. III.

RECTOR

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,

MICHAEL

VVALTHERUS,

DOCTOR ET PROFESSOR THEOLO-
GUS, ALUMNORUMQUE ELECTORALIUM
EPHORUS,

OMNIBUS CIVIBUS ACADEMICIS,

ET

UNIVERSIS ALIIS LECTURIS,

AD

FIDUCIALEM MOTUM,
SPIRITUALEM USUM,
ET SALUTAREM FRUCTUM,

IN

DEVOTAM FESTI PRÆSENTIS
CELEBRATIONEM,

RELIGIOSO, VEREQUE NATALITIO STUDIO,

D. D. D.

(1690)



IN NOMINE JESULI,
SUMMI NATALITIARUM CUNARUM
REGIS!



Agnum hodie *Nativitatis Festum* est. *Natalis* enim est DEI, *Natalis* Mundi, vel *Salvatoris* Mundi, Joh IV. 42. *Natalis* omnium hominum! *Ecce*, dicit Angelus, *Cælorum Legatus*, & *Magnus Nativitatis Nuncius*, annuncio vobis *gaudium magnum*, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie *Salvator*, qui est *Christus Dominus* in *civitate David*, Luc. II. 10. 11. *Magnum* quoque *Natalitiarum Cunarum Festum* est, dum in *cælesti Legatione* pergit *Nativitatis Evangelista* *Pastoribus*: *Et hoc vobis Signum*: *Invenietis Infantem* *pannis involutum*, *positum in præsepio*. *Festum præsepiorum*, *Festum* est *Cunarum*, dum *Natus Infans*, *pannis involutus*, alias *cunas*, præter hoc *præsepium*, non habuit. *Præsepium* hoc offert *Cunas*, non *vulgares*, sed *singulares*, non *tralatitias*, sed *natalitias*, non *rusticas*, sed *regias*, non *regias mundanas*, sed *ultramundanas*, omnibus *Angelis*, & *hominibus*, non *honorandas modo*, sed & *adorandas*. *Mox* enim *adfuit Grex terrestrium Pastorum*, v. 20. qui *Regem Cunarum* adorarunt, & tanquam *Hominum Primitiæ*, *Festum Cunarum Natalitiarum* celebrarunt, *Glorificantes*, & *Laudantes Deum* in omnibus, quæ audierant, & viderant de *Magno Cunarum Rege*; *mox* etiam apparuit *Exercitus cælestium Angelorum*, quia v. 13. *subito cum Angelo*, *Magno Legato Genethliaco*, *multitudo Militiæ cælestis*, *adfuit*, *laudantium Deum*, & *dicentium*: *Gloria in Excelsis Deo*, & *in terra pax*, & *Hominibus bona Voluntas*.

Hac



05 A 1426

Hac Nocturna Musica Festum Cunarum, non terrestres Tibicines, & Fidicines, sed caelestes Principes, atque Duces, intimarunt, magnaq; solennitate Regem Cunarum celebrarunt, ut Patrem Gloriae, Principem Pacis, & Fontem omnis sudorlac, atque caelestis Benevolentiae. v. 14. Non autem tum demum in plenitudine temporis, cum Deus misisset Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & nos adoptionem Filiorum Dei consequeremur, Gal. IV. 4. capit, sed antiquum, imo, si judicandum, quod res est, antiquissimum, & primum, hoc Cunarum Natalitiarum Festum est, protoplastis revelatum, ab ipso Jehova Elohim intimatum, & devota solennitate statim in paradiso nostris à parentibus primum initiatum. Adest Semen Mulieris, Nascendus Infans, adsunt paratae Cune Natalitiae, non auro fulgentes, nec argento splendentes, nec gemmis radiantes, nec ebore nitentes, nec artificio vario se plurimum efferentes, sed multitudine Natalitiorum Mysteriorum, & magnitudine Genethliacorum donorum, atque beneficiorum, micantes, & cunctas alias intervallo longissimo post se Cunas relinquentes. Adsunt Festi Cunarum Natalitiarum Cultores, Admiratores, Praedicatores, Executores, Adam, & Eva. Primum hoc fuit Cunarum Genethliacarum Festum, quo certe prius, & antiquius non datur, nec dari potest. Paradisiacum extitit Cunarum Festum, in Paradiso Regni Potentiae feliciter inchoatum, feliciter in Paradiso Regni Gratiae, qui dicitur Ecclesia, temporibus omnibus continuatum, & in Paradiso Regni Gloriae demum per secula seculorum felicissime celebrandum. Primum, in quolibet rerum ordine, fons, & principium, norma, & regula sequentium appellatur: hinc Adamicum Cunarum Festum verè Catholicum Festum, omnibus hominibus, in primis suis Conditoribus, omnibus locis, atque temporibus omnibus, cum primis autem Hodierne Genethliacae Festivitati pariter destinatum. Magnum, & arduum hoc Cunarum Festum, omnibus mysteriis refertissimum, omnibus meritis abundantissimum, omnibus beneficiis exoptatissimum! Tanta Mysteriorum hic latet magnitudo, tanta meritorum hic patet multitudo, tanta donorum apparet plenitudo, ut quid primo, quid secundo, quid tertio ponendum, vel proferendum

dum sit loco, mentem reddat ambiguum, linguam prorsus nul-
lam. Num igitur tacendum? *Raphael Tobie* respondet, *Tob.*
XII. 7. Arcana Regum, vel Principum, tacere, vel abscondere, bo-
num est: Opera autem DEI revelare, prædicare, glorificare, ma-
ximè honorificum. Paradisum igitur, primorum Parentum Tem-
plum, ingrediamur, Concionatori Summo, Maximoq; Jehovæ E-
lobim, nostris auribus admoveamur, primos Festi Natalitiarum
Cunarum Cultores, Adam, & Evam, tanquam Exemplaria prima,
Specula viva, ceu primam Genethliacam Ecclesiam, intueamur, & ad
imitationem eorum festivalem, omni studio, conatuque pro-
moveamur! Spiritus Diei, seu Lucis, dabit menti lumen, lingue
dicendi flumen, fidei, pietatiq; Genethliacæ firmissimum columen!
Non certe difficile foret cum *Adamo Cunas Messie, tum æter-*
nas, tum externas, tum internas, sacris meditationibus ostende-
re; illas in Deo, istas in mundo, vel Paradiso; has in Adamo,
vel aliis fidelibus, persequi; illas in Dei Mente, voluntate,
Decretorumque libertate; istas in promissionum veritate, va-
ticiniorum claritate, meritorum pluralitate; has in spirituali
Vita, v. 20. justitia, v. 21. & jugi genethliaca penitentia, prosequi:
illas in æterna Dei bonitate, vel misericordia, ratione Patris, in
æterna Dei sapientia, ratione Filii, in æterna Dei potentia, vel
energia, ratione Sancti Spiritus; istas in Seminis Mulieris Nativi-
tate, passivæ contritionis morte, victoriosa capitis serpentini
conculcatione; has in Adami fide, quoad vitam, v. 20. spe, quoad
justitiã, v. 21. & charitate, quoad assiduam penitentiam, v. 22 juxta
mensuram modicam, assequi. &c. Neque minus paratū esset,
communium cunarum analogiam attendere, quæ vulgo respi-
ciunt à priori, motum uterinum, & viscera matris, à formali motum
proprium, & actum externū sui formali, (dum propter continuū,
vel etiam ordinarium infantis motum adhibentur); à posteriori,
totius vitæ motum, & actum, quod homines ad varios vitæ mo-
tus, & actus destinantur: sic etiam Cune Genethliacæ Messie respici-
unt à priori misericordissimos viscerum Dei Patris motus, à formali
Messie meritorios actus, sive cursus, & à posteriori, Spiritus S. saluta-
ris in hominibus eosq; moventes effectus. Parat hic Cunas Nata-
litias

litas Dei Patris Misericordissima Benevolentia, v. 8. seqq. *Dei Filii Sufficiantissima Beneficentia*, v. 14. ad 19. *Dei Spiritus Sancti saluberrima Energia*, v. 20. - 25. *Offert Cunas Geneblicas Gratosissima Patris Φιλανθρωπία*, v. 8. seqq. *Dei Filii Meritoria Evergesta*, v. 14. seqq. *Dei Spiritus Sancti saluberrima Energia*, v. 20. seq. &c. Sed hæc cum aliis dimittimus, & *unam*, vel *alteram* saltem *Proprietatum*, secundum *Ordinem Personarum* S S. Trinitatis, de *Cunis Messiae primis*, exponimus. *Moses* namque *primas Jesuli nostri Cunas Regias* describit omnium optime, ratione *Sacrosanctæ Trinitatis*, *Jehovæ Elobim*, qui per totum cap. III. *Geneseos* est *principaliter providens*, *principaliter loquens*, *principaliter agens*, & *omnia principaliter perficiens*, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, simulq; , respectu *distinctionis Personarum*, pulcherrimas *Cunarum Geneblicarum Proprietates* luculenter ostendit, dum alias introducit *Cunas*, ut *Gratosas*, respectu *Dei Patris*, alias ut *actuosas*, respectu *Dei Filii*, alias ut *Fructuosas*, respectu *Spiritus Sancti*. *Cunæ Messie* sunt alias *Gratiæ plena*, respectu *Patris*, qui *Deus* hic est *omnis Gratiæ*, I. Petr. V. 10. & teste vel ipsemet *Messia*, מלאך רב, *multus, magnus*, & *plenus Gratiæ, & Veritatis*, Exod. XXXIII. 6. Et hic *Titulus* etiam *Cunis Incarnationis proprius*, & *adequatus* esse videtur, dum *Johannes c. I. 14.* scribit: *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus Gloriam ejus, Gloriam quasi Unigeniti à Patre, PLENUM GRATIÆ, & VERITATIS*, ita quidem, ut ex ejus plenitudine *Nos omnes accipere possimus gratiam pro gratia*, v. 16. siquidem omnia, quæ circa *Cunas Paradisiacas* vel dicuntur, vel audiuntur, *Gratiæ plenissima* deprehenduntur. *Gratiæ* certe *Jehovæ Elobim post lapsum in paradiso deambulatio*. Non enim, post *Diabolorum apostasiam*, ullam *Deus deambulationem* instituit, dum eos in peccatis derelinquere, nec ullam salutarem manum iis admoveere voluit: Sed *hominum lapsorum* causa, de *cælo Majestatis* in *terram maledictæ calamitatis* venit, & quod *gratiæ* fuit non *obscurum indicium*, in *paradiso Voluptatis*, *deambulationes* instituit, ut *mediantibus Cunis Natalitiis paradisi* *externæ voluptatis* in *paradisum internæ*, vel etiam *æternæ*

voluptatis converteret. *Gratiosa* pariter *Jehova Elobim* ad *Cunas Genethliacas* præparandas *apparitio*, dum *ἡ χάρις, ἡ σωτηρία*, hoc est, *Gratia* peculiaris, verèq; salutaris, apparuit, non modo protoplastis consternatis, sed etiam omnibus miseris hominibus, in primis parentibus deperditis, & ab omni *gratia* prorsus exclusis. *Tit. II. II.* Apparuit certe *Jehova Elobim Pater* ad *Cunas Genethliacas* Filio præparandas, *Jehova Elobim Filius* ad *Cunas Natalitias inhabitandas*, ipse *Spiritus Sanctus* ad hæc *Cunas Genethliacas* elaborandas. *Gratiosa* porro *Jehova Elobim Elocutio*, dum non comparuit ad iram, sed ad *Gratiam*, non ad *justitiam* exercendam, sed ad *misericordiam* ostendendam, non ad *hostilitatem*, sed ad *familiaritatem*, vel *affabilitatem*, cujus *verba* sunt *media*, vel certissima *symbols*, non ad peccatoris plenariam *aversationem*, sed amicam cum eodem *conversationem*, & omnem *gratie salutaris* contestationem. Hæc *Verba Dei Loquentis*, vel *Eloquentis*, sunt *Cunarum Mysticarum Causa, Materia, Forma, Finis, & Meta*, vel uno verbo, τὸ Πᾶν, *Verbum*, ut *Causa*, *Cunas Messie parat*, quia sine *Verbo* nullæ fiunt, nec unquam factæ sunt *Jesuli Cuna. Verbum*, ut *Materia*, *Cunas Seminis mulieris* intrat, earumq; *materialia* suppeditat, quia quot *Patris*, de *Filii Incarnatione*, vel *Seminis Mulieris, Verba*, tot adsunt *materialiter ingredientia. Verbum*, ut *Forma*, *Cunas omnes natalitias* figurat, & ultimam ipsis *perfectionem*, & *complementum* præstat, dat *Esse*, dat *Distingui*, dat *operari. Verbum Cunarum Jesuli meta*, dum recens *Natum* tenet, fovet, movet, & omne salutis momentum profert, offert, & confert. *Gratiosa* quoque *Protoplastorum* ad has *Cunas Vocatio: Adam Ubi es?* Fugerant ad divinæ *Vocis auditum* Protoplasti, neque coram Deo stare, vel ad Eum appropinquare potuerant, male sibi conscii, *Cunarum Genethliacarum* ignari. *Mortem*, non *Vitam*, *Diabolum*, non *Deum*, *infernum*, non *cælum*, apud se ferebant. Sed mox ad *Cunas Genethliacas* vocationem accipiebant. *Jehova Elobim Pater Regem Cunarum Genethliacum* in corde fovebat, ex corde suo per *cunas mysticas* in corda peccatorum movere studebat, & nullas alias translationis *Cunas*, præter *Verbum*, ad-

hibe

hibere volebat. *Verbalis Vocatio fit spiritualis peccatoris mutatio.*
Cuna Natalitia Dei Salvatoris fiunt Cuna hominis peccatoris. Deus
Pater in pectore suo, mediante *Verbo Natalitio*, tanquam *Cu-*
nis Nativitatis, Messiam possidet, & per idem *Verbum Messiam,*
& *Cunas Mesfiæ*, transfert in corda peccatorum. Sic *Genethli-*
ca datur inter *Jehovam Elobim Optimum*, & *Hominem pec-*
catozem pessimum, *Cunarum communicatio*, simulq; fit *dono-*
rum Natalitiorum Messie communio. Dei *Cuna* sunt *Adami Cuna,*
Mesfiæ, Dei Donum, fit *Adami Bonum.* Hæc, & alia multa, no-
bis ostendit *Gratiosa Dei Vocatio.* Sequitur hanc *Gratiosa*
peccatorum hominum in Cunas Seminis mulieris transmutatio.
Non enim *Jehova Elobim* tantum peccatores homines ad *Cu-*
nas Genethliacas vocat, sed etiam ipsos in *Cunas* ejusmodi
transmutat. *Mira certe μεταμειψωσις.* *Adam, & Eva, Cuna*
per apostasian erant *Diaboli*, nunc fiebant *Cuna Seminis mulieris*
Christi, prius erant *cunæ mendacii*, nunc fiebant *incunabula Ve-*
ritatis verbi; prius erant *cunæ nigrae mortis*, nunc *albae cunæ* sunt
vita, prius *cunæ serpentis*, nunc *hujus Contritoris*, prius *ira*,
nunc *gratiæ* &c. Sed per quod *medium*? *Ipsi per media nō artifi-*
cialia, sed *spiritualia*, fiunt *Cuna Jesuli Genethliacæ.* Nam *Gratia sa-*
lutifera nunc apparebat primis, & omnib; in iis hominibus, &
quidem *παιδεία σου*, castigando examinans, & examinando ca-
stigans nos, utroque modo *judicans*, & *judicando gratiose,*
sanans, & per veram *penitentiam* homines mutans, atque sic
peccatores erudiens, ut *abnegantes impietatem, & secularia deside-*
ria, *sobrie, juste, & pie* vivant in hoc seculo, *expectantes certam*
spem, & adventum Gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Chri-
sti, Tit. II. 11. 12. 13. Quæ certe *παιδεία* quoque, juxta *Mosen*,
fuit *Gratiosi Legislatoris in paradiso.* Nam *Examen justitiæ* Hic
instituit, & tamen *gratiam salutiferam* per veram *conversionem*
statim conjungit; atq; sub *in media* mera *gratiæ* facit *indicia*,
dum post *vocationē* peccatores clementer audit, peccatū odit, &
peccatores ad *penitentiam* erudit, & vere convertit; *peccati sta-*
tū invertit, peccatores in *gratiæ* statū recipit; *maledictionis reatū*
tollit, eumq; per *Mesfiā* in *serpentem* transfert; ipsos peccatores
Mes-

Messie donat, & in Cunas Seminis mulieris Genethliacas gratiose commutat. O Gratiā supra gratiā, excedens omnē humanā gratiā naturam, omnem Angelicā gratiā mensuram, omnem creatā gratiā cynosuram! Homines peccatores facti sunt Cuna Seminis Mulieris, Autoris gratiā, quatenus ut Infans nascitur, ! Tempa sunt Seminis mulieris Praconis, quatenus ut Praeco gratiā, mera verba gratiā, Luc. IV. 22. omnium cum admiratione concionatur, & לרוח הוור ad motum, ductum, & actum Spiritus Sancti, non auribus modo, sed & cordibus, Ipse communicatur, ac in iis, tanquam Cunis, commoratur, atque salutariter operatur! Sunt ades, & sedes Seminis Mulieris, Dispensatoris, & Datoris omnīs gratiā, dum omnia mysteria gratiā secum affert, omnia beneficia mysticis suis domiciliis, hominibus, infert, & cunctā gratiā, simul & gloriā privilegia cumulatissime confert. Hæ Gratiōsa Cuna Seminis Mulieris sunt à Patre, qui Deus omnis gratiā I. Petr. V. 10. paratā, quas sequuntur Actuose, vel operosa Cuna Genethliaca, v. 14. ad 19. Jesulo nostro sunt operosa, dum maxime meritoria. Multas etiam hic Jesuli Cunas Genethliacas cum Adamo conspicimus. Cuna Genethliaca sunt Misericordiae, vel maledictionis Ergastulū, v. 14. quia factus Ipse pro nobis maledictus, Gal. III. 13. ut nos fieremus in ipso Benedicti, siquidem Benedictus est Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo Jesu, Ephes. I. 3. Maledictus erat homo peccator, maledictus etiam erat serpens seductor, uterque propter avopiam, cum maledictus sit omnis, qui non permanet in omnibus legis, Deut. XXVII. 27 Jus aequale dicitur omnibus peccatoribus, nec unus alterius potest esse Vicarius, vel substitutus, dum frater fratrem, peccator peccatorem, redimere nequit, Ps. XLIX. 8. Sic ergo nostrā maledictionis pœna fiebant Genethliaca Seminis mulieris Cuna. Homo maledictionibus per Dei gratiā evolvebatur, sed Mulieris Semen iis involvebatur. Nostra supplicia fiebant Messie receptacula, nostri doloris lamenta fiebant Messiani laboris ergustula, sicut ipse conqueritur Esa. XLIII 24. 25. Servire me fecisti in peccatis tuis, praeiisti mihi laborem in iniquitatibus tuis; Ego sum, Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum

eorum tuorum non recordabor. Injustus ex carcere maledictionis
 dimittitur, illius loco justus in maledictionis barathrum conjici-
 tur. Infans Rex Cunarum fert maledictionem, ante cunas, infamie,
 dum falso habetur pro spurio, vel illegitimo fœtu, Matth. I.
 18. 19. in Cunis fert maledictionem indigentia, dum in summa pau-
 pertate nascitur: locus ei proprius non conceditur, & in diver-
 sorio nec angulus ipsi permittitur, sed in stabulum detruditur,
 & non in Cunis, sed in praesepio duro, vel, juxta tritam sententiam,
 lapideo, reponitur. Cuna sunt dura, & mox, propter Herodis
 persecutionem, dira, dum nec durum hoc praesepium tutum ei-
 dem est asylum: fert maledictionem omnis molestia post Cunas, dum
 in prima statim pueritia, voluptatis omnis expers, omnis itineris
 molestias cum Parentibus adire, & in Ægyptum fugere neces-
 sum habet, Matt II. 13. 14. Quicquid igitur mundus pro Benedi-
 ctione quadam in honore, d. vitiis, & voluptate, reputat, illud omne
 Regi Cunarum denegat, dum ignominiam pro honore, indigentiam
 pro divitiis, molestiam pro voluptate cumulat. Sic maledictio peccato-
 ris fit maledictio Salvatoris! Hanc à peccatoribus aufert, & in sedu-
 ctorem serpentem, se mediatore, transfert. Hinc nova dantur Cuna
 nostro Jesulo, dum ingreditur inimicitarum Mediatoriarum Gy-
 mnasium. Pater enim, nostri loco, perpetuas adversus Serpentem
 inimicitias Ipsi ponit, eumque; sic Cunis periculosissimis imponit. v. 15.
 Hercules in cunis cum Serpentibus pugnasse perhibetur. Noster
 Rex Cunarum non cum binis, sed innumeris, non cum terrestribus,
 sed infernalibus serpentibus, inimicitias suscipere necessum habuit.
 Tulit inimicitias, & dura quævis pertulit, sed omne venenum,
 & robur, cunctis infernalibus serpentibus sustulit, & peccatores im-
 belles sua virtute potenter armavit, ut easdem, cum Ipso, Diabo-
 lorum inimicitias sustinere valuerint. Dicit enim Jehova Elo-
 him: Inimicitias ponam inter te, Serpentem, & Mulierem, & inter
 Semen tuum, & Semen ejus. Magnæ sunt adversus homines Ca-
 codæmonis iræ, multæ sunt ejus inimicitia, sed, præsentem Cunarum
 Rege, felices fiunt nostræ contra Serpentem, & omnis generis
 hostes, inimicitia. De Gentibus variis Historici recensent, quod
 ab hostibus pressi, vel etiam victi, Reges Infantes, in Cunis jacen-
 tes, secum in militiam duxerint, eos in acie constituerint, & in-

B

tuitu

tuitu *Cunarum Regiarum* fortiter, & feliciter pugnaverint, atq;
 victoriam ab hostibus suis reportarint. *Adam, & Eva*, magni-
 tudine non tantum, sed & *multitudine* hostium infernalium, &
 quidem innumerabilium, etiam *spiritualium*, cincti fuerunt, ab
Illis victi, sed ab *his* nimium quantum pressi! Verum cum *Regem*
Cunarum, Semen mulieris, per fidem obtinerent, in *aciem* secum
 ducerent, Eum copiis innumerabilibus hostium opponerent,
 fortunatas & victoriosas *inimicitias* contra cunctos hostes ges-
 ferunt, & in *libertatem* ex *servitute* redierunt. Idem peccato-
 ribus pœnitentibus omnibus contingit, si per fidem veram *Re-*
gem hunc *Cunarum* in *acie* ponunt, & *bellum* contra spirituales
 inimicos in Eodem gerunt. Nam in hoc *Fides* vera, mera, perpe-
 tua dicitur *victoria*! *Job. V. 4.* Sequuntur jam novæ *Cunæ* nostri
Genethliaci Regis, quas exhibet ipsum *Seminis Mulieris Miraculū*.
 Nam magno *miraculo* *Jehova Elobim* fit *Semen Mulieris, Deus, &*
Homo, verus *θεοῦ υἱός*, sicut ex *Protevangelio* suam *fidem* de-
 clarat *Mater omnium viventium, Eva, Gen. IV. 1.* *Possideo Virum*
Jehovam, ἄνθρωπος θεοῦ. Magnum siquidem *ὁμολογῆμα*, o-
 mnium *confessione pietatis* *mysterium* est, *Deus manifestatus est in*
carne, I. Tim. III. 16. Dominus ipse dabit vobis *Signum*, vel *Mi-*
raculum, dicit *Abas Regi* *Propheta Esaias VII. 13. 14.* *Ecce Virgo*
concipiet, & pariet Filium, & vocabit ejus nomen Immanuel. Hoc
miraculum Cunis Regis est proprium. Similes *Cunas* mundi, nec
 unquam vidit, nec eas videre potuit. Sed ὁ *mundum ingratum*,
 qui tum temporis has *Cunas Salvatoris Regias* agnoscere noluit,
 neq; jam vult! Similes *Cunas Adamo*, vel nobis etiam offert *Pas-*
sionis, & Mortis Spectaculum. *Passionibus, & cruciatibus* totus totus
Jesulus fuit *involutus*, ut *Vermis* apparuerit, & nō *homo, Ps. XXII. 7.*
nulla species ejus, neq; decor, despectus & novissimus Virorum, Esa. LIII.
2. 3. *Cunas* igitur has *Adam* vidit in *Serpentino calcanei morsu, v. 15.*
 vel ipsa *morte*, quas per fidem agitavit, ut *morte sua quietem*
 in *Messia morte* reperiret. Nec alias, quam *Jesuli, Cunas* sinit *Victo-*
riosum, & gloriosum Tropeum, in *Serpentini Capitis conculcatione*,
 dum *Victor* est in *Victoria, Triumphator* in *Gloria*, quā accinunt
Regi Cunarum Cantores Militiæ cœlestis, Luc. II. 14. per suum *Glo-*
riosum Epinicium, Gloria in Excelsis Deo! simul addunt *Pacis lati-*
 tudinem

*etiam, & conjungunt omnem Hominibus evdoutar. Non postremas
affert Jesuli Cunas perpetuū Crucis, & tribulationis commilitium,
v.16. seq. Virge Crucis sunt Cuna Lucis, Lucis vera, quæ illuminat om-
nem hominem, venientem in hunc mundum, Job. 1.4.9. Nam vexa-
tio Crucis dat intellectum, Esa. XXIX.9. Sed in omni cruce Jesus
præfens. Malum ipse Crucis imponit, manum salutis supponit, Psal.
LXIX. 20. dum ipse nobiscum semper est in necessitate, suæ libera-
tionis infallibilitate, & glorificationis dexteritate, Ps. XCI. 15. Proto-
plasti commendat Jehova Elohim Crucis ærumnas, & dolores, v.16.
labores, & sudores, v.17. 18. nim. ut essent Jesuli Cuna. Nam Ipse
fuit in Cruce semper: in cruce natus, & educatus, in cruce conver-
satus, & concionatus, in cruce passus, & mortuus! Jesuli vita, Crucis via.
Dux ipse Christianorum, quia Caput Crucianorum. Hodie Jesus
nascitur, non absque cruce, & præsepio crucis imponitur. Cras
Stephanus patitur, & in Christi cunis, crucis incunabulis, militare co-
gitur. Sed dum, quoad carnem, & judiciū humanum, in cruce ver-
satur, quoad Spiritum, & fidem, divinumq; judiciū, in luce prælia-
tur, & cælum apertum contemplatur, ipsa cælestis gloria Victoria
coronatur, Act. VII. 56. Deniq; mors etiā Adami, v.19. ultimas, rati-
one Messie, Genethliacas Cunas subjungit. Moritur mundo, nascitur
cælo, dum in morte fidelium per fidem Jesus quiescit. Mors
Messie dat Cunas Genethliacas Adamo, & mors Adami dat Cu-
nas Genethliacas Christo, dum in fidelibus membris & Ipse my-
stice moritur. Tandem ad Cunas Messie Genethliacas, respectu
Spiritus S. descendimus, & eas v.20. ad finem usque capitis in me-
ris spiritualibus donis, atque fructibus luculenter offendimus. O
quam multa, quam magna, rursus in his latent mysteria, quæ
Genethliaci Cultoris requirunt scrutinia! Prolixas equidem Textus
dū multa paucis exponit, commentationes offert, sed eas char-
tarum angustia non capit. Cunas igitur has Genethliacas nudis
titulis proponimus, sed justis declarationibus non exponimus.
Adamus videt Cunas Genethliacas Vitæ spiritualis, cujus paratissi-
mam confessionem edit. Nam modo per verbum non amplius
ipse vivit cum Paulo, Gal. II. 20. sed vivit in ipso Jesus per fidem,
qui nunc ipsius Via, Veritas, & Vita, Job. XIV. 6. Præterea cernit
Cunas Genethliacas justitiæ spiritualis, v.21. dum in ejus imputata
justitia Jesus, tanquā in mysticis cunis, quiescit: factus enim ipsi
non*


non tantum *sapientia*, sed etiam *justitia*, I. Cor. I. 30. cum ipse *Jehova* *Jesulus* sit *nostra justitia*, Jer. XXIII. 6. *Jesulum Adamus* etiam movit in *Cunis Genethliacis* spiritualis, & indefinente *penitentia*, v. 22. cum vera *penitentia peccatoris* sit gratissimū *cubile Jesuli Salvatoris*. Parat etiam *Adam Jesulo Cunas Genethliacas* spiritualis *via*, dum à Deo propter *peccatum* è *paradiso* terrestri dimittitur, ipsum *Paradisum mysticum*, *Ecclesiam*, ingreditur, & ibidem in omni *via*, *vita*q; *spirituali*, *Jesulo Cunas* parare, per *fidem* aggreditur. Nam *via* spirituales *peregrinantis*, & *exulantis Viatoris Christiani* sunt *mystica Cuna Christi*. Neque minus parat *Jesulo Cunas Genethliacas* *Protoplastos* in suæ *Vocationis energia*. Vocatur ab ipso *Jehova Elohim* ad terræ *culturam*, ut operaretur *terram*, de qua *sumtus est*; ad *Officinam Vocationis*, ut omnes suos *labores*, instar *Cunarum Genethliacarum*, *Messie* submittat, & se totum *Eidem* committat. *Felix officina laborum*, felices & ipsi *labores*, qui *Christi* fiunt, sunt, & manent, *incunabula*! *Seqvuntur* & alia *Cuna Genethliaca*, quæ sunt *Angelica custodia*: nam & in *Angelis* presentibus, & eorum *ministeriis*, semper etiam *Dominum presentem* novimus. *Ultimas hinc Cunas Genethliacas* in *Cunis æternæ Gloriæ* speravit *Adamus*, sibi que per *fidem* applicavit. Nam *Cherubim*, *Beati Custodes*, æternæ *vitæ* fuerunt *indices*, & *testes*, & *Messie* non absentis *satellites*, Gen. XII. 1. XXII. 12. 13. XXXII. 1. 24. Has, & alias, *Cunas Genethliacas Adam* in *Verbo* revelatas habuit, suasq; *Meditationes Genethliacas* ad illas direxit, & firma *fide Semen Mulieris*, in plenitudine temporis futurum *Infantem*, salutariter apprehendit. O quam felices essemus, si *Cunas Jesuli Natalitias* easdem indefinenter *animo* circumferre, *ore* semper efferre, *manibus* sine intermissione movere, *Regē Cunarū* etiam in iis *jacentem*, constanter *oculis* adspicere, *cordeq;* *fideli* fovere possemus! Sic *Nos* toti *spirituales* essemus *Cuna Genethliaca*, & *Jesulus* libenter adesset, & nobis omnibus suis *Donis Genethliacis* prodesset! O *Nostris* Venite frequentes ad *Templa*, quæ sunt *Jesuli Genethliaca Cuna*, prope ad *Aras*, quæ pariter *Cuna Genethliaca* dicuntur. In his *Munera* deponite *Regi Cunarū*, & *Ministri* *Ipsius*, liberaliter *Vestra tributa* solve! *Magi Gentiles* fuerunt, & ad *Cunas Christi* dona sua tulerunt; *Christianos* id magis condecet. Eritis ita sub *Rege Cunarum* cum *Magis Sapientes*, & *Divites*, felices *Adami sectatores*, & *emulatores*!

P. P. In *Vigilia Nativitatis*, Anno M DC XC.

OS A 1426

ULB Halle
003 781 81X


3



Von







IN NOMINE JESULI, RECENS NATI! 4 G.S.
ADAMICAS
JESULI GENETHLIACAS CUNAS,
EASQUE PRIMAS, ET CATHOLICAS,
UT ET VERE PARADISIACAS,
EX GENES. III.
RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,
MICHAEL
VVALTHERUS,
DOCTOR ET PROFESSOR THEOLO-
GUS, ALUMNORUMQUE ELECTORALIUM
EPHORUS,
OMNIBUS CIVIBUS ACADEMICIS,
ET
UNIVERSIS ALIIS LECTURIS,
AD
FIDUCIALEM MOTUM,
SPIRITUALEM USUM,
ET SALUTAREM FRUCTUM,
IN
DEVOTAM FESTI PRÆSENTIS
CELEBRATIONEM,
RELIGIOSO, VEREQVE NATALITIO STUDIO,
D. D. D.

(1690)